

PAVLVS IOVIVS COSMO
MEDICI ILLVSRIS.

FLORENTIAE DVCI.

S. P. D.



INSIGNIVM aliquot Procerum uitæ imitatione Plutarchi summæ grauitatis philosophi, à me, licentiore stilo perscriptæ, quibus tu magnanime Cosme spiritum dedisti, quum elegantissimis formis ut luculentius in publicum prodirent, excudendas curaueris, iure optimo patrocini-
nium tuum deposcunt aduersus obtrectatores, uel hac una ratione, quòd censuræ tuæ iudiciũ subierint. Agnoscis enim (ut qui nostrorum temporum historiam exactissime calles) quo animi candore, quoué studio & pudore asserendæ ueritatis, ea quæ nos uidimus, posterorum memoriæ tradiderim. Intemperantis nanque ingenii foret, ea mandare literis atque edere, quæ summorum Ducum & Principum, qui adhuc uiuunt & florent, testimonio refelli possint; ut iam non aliunde locupletior & certior fides scriptis nostris constet, quàm ex his quæ à summis Regibus & Ducibus, qui bella gesserunt, enarrata referuntur; Quando hæc, infinita prope diligentia indaganti mihi (quod in tanto suscepto negotio summæ felicitatis fuit) cum uniuersis cunctarum prope nationum Ducibus, aut illustris amicitia, aut non obscura familiaritas intercesserit, ut ex ipsorum sermone rerum gestarum consilia atque euentus noscerentur. Quid enim uniuersam toto cognito orbe collectam historiam, à quinquaginta ab hinc annis scribere auso, tantumque opus non inuita Minerua ad hunc usque annũ perducenti, aut in hac uita beatius, aut post mortem extincta demum inuidia gloriosius euenire potuit, quàm hoc incorruptæ libertatis specimen prætulisse? Sed id opus quod iam planè absolutum propediem edetur, excitabit (ut reor) apud nos externasque gentes, dissonos clamores, ut libido cuiusque feret, inter ambi-